

Joannes Baptista Aenon venit. Discipuli Jesu baptizant.

Post desertam Bethaniam sive Bethabaram Joannes Baptista Aenon juxta Salim subsistens, munus suum, Baptismate nempe initiandi, praestabat. Sed cum major ad Baptisma Jesu fieret concursus, Joannis Discipuli aegro id animo ferentes, rem totam ad Joannem detulerunt; quibus ille, ut par erat sapientissimo viro, reponens; non sibi ait tantum arrogare, ut Messiam se jactaret; sed Praecurso-rem potius & veluti illius Paranympum praebere (p).

p Joann. 3. 25. 35.

A. M. 4034. Per. Jul. 4744. J. C. 34. Aera Vul. 31. Joannes in carcere detinetur.

Iberioribus verbis insectans Joannes Baptista Herodis cum Herodiade, quam a Philippo fratre suo scelestus rapuerat uxorem, nuptias incestuosas, in se tandem Herodem ipsum ab Herodiade sollicitatum aded animavit; ut in arce Macheroete (q), specie quasi nimio populi studio suspiciosus redderetur, arcto carceri traditus fuerit (s).

q Matt. 14. 3. 4. Marc. 1. 14. & 17. 18. Luc. 3. 19. 20. s Antiq. 1. 18. 67.

Jesus in Galileam secedit. Cum Samaritana colloquium.

Detruso igitur in carcerem Joanne, metuens Jesus, ne instigantibus Judaeis Pilatus aliquid simile in se, exemplo Herodis in Joannem, auderet, desertam Judaeam in Galileam regionem extra fines Praefecturae Pilati & in ditione Philippi contendit. Transeundum illi fuerat per Samariam; & cum non longum esset ab Urbe Sichar, missis ad Urbem Discipulis emendis comitatibus, ad puteum Jacob non longum a foribus Sichar confedit. Accidit ut foemina de propinqua Urbe ed hauriendis aquis veniret, quae a Jesu, ut potum sibi praebere, requisita, mirari se dixit, Judaeum hominem aquam a foemina Samaritana postulare; non enim Judaei Samaritanis contebantur. Tunc Jesus plura mulierem edocuit, ejusque secreta omnia cordis revelavit; seque ipsum Messiam prodidit, futurum annuncians, ut brevi purus Fidelium cultus in spiritu & veritate Patri, non in Garizim, neque in Templo Jerosolymitano, sed ubique locorum exhiberetur. Supervenientibus interim Discipulis, capiendisque cibis Jesum urgentibus, respondit ille, latentes sibi epulas, quibus saturaretur, voluntatem nimirum Patris sui, in promptu fuisse. Mulier autem illa in Urbem regressa, totius rei historiam atque sermones Jesu omnes longum lateque promulgavit. Egressi proinde cives, ut in Urbem veniret, invitarunt; quibus acquiescens, biduo non sine plurimorum fructu ibidem mansit (t).

t Joann. 4. 1. 43.

Jesus fidem annunciat in Nazareth. Praecipitem e vertice montis agere illum Judaei tentant.

In Galileam igitur veniens, & per Synagogas discurrens, praedicabat; quod cum semel in Synagoga Nazareth patriae suae occasione sententiae Isaiae, quam ibidem legerat, praestaret, seque ipsum eo Prophetae oraculo Messiam a Prophetis annunciatum demonstraret, omnium in se oculos & admirationes convertit. Sed revocata dein in memoriam natalium ipsius obscuritate; quippe qui Josephi filius crederetur; cives Nazareth contemptui hominem habuerunt. Quare Jesus nullo illis ex his prodigiis, quibus sibi demeruit Capharnaitas, favendum censuit. Adjecit neminem e Prophetis in Patria sua satis honorari. Quibus aliisque objurgationibus provocatus populus supra verticem montis, cui Urbs insidebat, constitutum, praecipitem agere moliti sunt. Sed Jesus per medios illos dilapsus ex Urbe secedens (u) sedem in Capharnaum (x) ferre perpetuam constituit; unde decurrens per universam Galileam summo populi assensu auscultabatur (y).

u Luc. 4. 14. 39. x Matt. 4. 13. 16. y Joann. 4. 45.

Valetudini restituit Filium unius ex Regiis Praefectis Capharnaum.

Venerat iterum Canam, cum Praefectus quidam Regius Capharnaum comorans, ad illum se contulit, pro valetudine filii sui rogaturus. Nec mora; lato de eadem recepta valetudine nuncio a Jesu remissus est. Quare cum bona spe plenus rediret, obvios habuit familiares nuncios, praecedenti die septima hora, nempe prima post meridiem, quo ille momento nuncium acceperat a Jesu de filii valetudine, puerum convaluisse (z).

z Joann. 4. 46. 54.

SS. Andreas & Petrus secundum vocantur.

Post aliquot dies per litus maris Tiberiadis inambulans, duos fratres, Simonem, alio nomine Petrum, & Andream piscationi intentos offendit, quos cum ad sui sequelam invitasset, illi statim retibus, naviculam, ceterisque omnibus relictis paruerunt (a).

a Matt. 4. 18. 20. Marc. 1. 16. 18.

Jacobus & Joannes filii Zebedaei vocantur.

Inde longius aliquanto digressus, duos fratres Jacobum & Joannem in trivula cum Zebedaeo patre retia sua rescientes offendit, qui pariter ab illo invitati, omnibus relictis vocanti comites accesserunt (b).

b Mat. 4. 21. 22. Marc. 1. 19. 20.

Va-

Valetudo Dæmoniaca in Capbarnaum.

Commorans igitur Capharnaum Jesus, singulis Sabbatis praedicabat. Accidit ut in Synagoga esset vir quidam Dæmoniaca, qui in clamores effusus elata voce dixit: Scio te, quis sis, Sanctus Dei. Dæmonem objurgans Jesus, aditum quiesceret, & e viri corpore faceret, imperavit. Contorquebatur miser aeger; sed brevi, Dæmone facessente, salva viro omnia facta sunt (c).

c Marc. 1. 21. 28. Luc. 4. 31. 37.

Socrus Petri febriliter laborans curatur.

Et Synagoga in domum Simonis, alio nomine Petri, ad curandam Socrum illius febriliter laborantem se contulit (d). Inclinate in vesperam die, omnes undique ex universa Urbe aegroti praeforibus aditum Jesu Christi positi, valetudini ab illo restituti sunt (e).

d Marc. 1. 29. 30. 31. Matt. 8. 14. 15. Luc. 4. 38. 39. e Matt. 8. 16. Marc. 1. 32. 33. 34. Luc. 4. 40. 41.

Jesus in desertum se confert.

Diluculo alterius diei Jesus in desertum secedens, orationi vacavit; quem Petrus alique discipuli convenientes ab ingenti hominum turba ejus praesentiam repositi significaverunt. Dixit illos Jesus in vicis totaque demum Galileam, undique Evangelium Regni annuncians (f).

f Matt. 8. 23. Marc. 4. 13. Luc. 4. 42.

Magdalena sanatur.

In eo itinere creditur Magdalena septem Dæmonum contubernio liberata, convaluisse (g); sicut & praesentissimam eandem operam expertas fuisse constat Joannem uxorem Chuza, aliasque nonnullas, quae deinde Jesum in praedicationibus suis comitatae, ejus sese obsequiis adhaerunt (h).

g Marc. 16. 9. Luc. 8. 2.

h Matt. 27. 55. 56. Marc. 15. 40. 41. Luc. 8. 2. 3. & 23. 49. 55. i Matt. 8. 24. 25.

Piscatio prodigiosa.

Redux e Galilaea, cum ad lacum Genesareth venisset, turbam hominum, ut se auscultarent, convenientium offendit. Quare Simonis Petri naviculam conscensam, docendum inde populum suscepit. Secundum haec in altum ducere navim suam Petrum, & projicere in capturam retia iussit; qui morem Praeceptoris gerens, ingentem aded praedam collegit, ut piscium copia retia scinderentur (k).

k Luc. 5. 1. 2.

Dissert. Calmet Tom. II.

Valetudo Leprosae.

Sub haec tempora Jesus solo tactu leprosum curatum ire iussit ad Sacerdotes, de recepta valetudine testaturos; mandatis insuper oneravit, ne medicum suum revelaret (l).

l Luc. 5. 1. 2.

Curatio Paralytici.

Ad ejus miraculi pervagantem undique famam aded apud omnes Jesus inclaruit, ut secretus in Urbibus manere neutiquam posset. Transfretato mari Genesareth, dein in Capharnaum se contulit, ubi pluribus curatis aegrotis, paralyticum e lecto domus funibus ante se demissum, eodem, quo ceteros, beneficio donavit [m].

m Matt. 9. 2. Marc. 2. 3. Luc. 5. 18. 19.

Vocatio S. Matthaei.

Cum ad lacum Genesareth se contulisset, Publicanum quendam, nomine Levi sive Mattheum, offendens, ad sui sequelam invitavit. Cum autem ab illo convivio exceptus esset, murmuris ex ea re Pharisaeorum in Jesum occasio data est. Sed Jesus tum se ab omni crimine purgans, cum pariter declaravit, misericordiam praefeveritate probare se, ac juniorum pro Discipulis suis tempus non in praesenti, sed in futuro expectandum (n).

n Matt. 9. 10. Marc. 2. 15. Luc. 5. 29.

Secundum Pascha post Baptismum J. C. Curatio Paralytici ad Piscinam Probaticam.

Contulit se Jesus ad Urbem Metropolitim Festum Paschae celebraturus, ubi saluti fuit Paralytico, qui 38. solidos annos in margine Piscinae probaticae, nomine Bethesdae, perseverans, nunquam in salutari ejus lavacro demergi permissus est. Cum autem valetudini aeger restitutus eadem die, magni nempe Sabbati, seu Sabbati Paschae proximioris, grabatum suum tollens recederet, in varios per vulgus sermones abutum est. Porro vir ille Jesum quidem minime norat; sed aliquandiu post eundem Jesum in Templo offendens, moneretur ab illo ne ulterius peccaret, tunc Liberatorem suum agnoscentes, acceptum ab illo beneficium palam promulgavit. Offensus ea de re Judaei, necem Jesu Christi tamquam Sabbati violatoris, & qui se Dei Filium vendicaret, communi consilio statuerunt (o).

o Joann. 5. 1. 47.

C

Dist.

Discipuli spicas ad cibum carpunt. Curatio famuli Centurionis Capharnaum.

Sabbatho primo post Pascha succedente, transeunte Jesu, ejusque Discipulis per sata ad messem jam ferme matura, esurientes Discipuli spicas carpentes, manu excussum frumentum manducabant. Rem animadvertentes Pharisei, cum Jesu de violatione Festi querebantur; sed ille necessitatem excusavit, Davidis exemplo, qui panibus propositionis, alio non suppetente cibo, passus est; idem etiam factum observavit à Sacerdotibus, qui à prastandis in Templo operibus die festâ non abstinere. Tandem esse se dominum Sabbathi, Legisque palam edixit (p).

p Matt. 12. 1.
8. Marc. 2. 23.
27. Luc. 6. 1. 5.

Manus arecentis curatio.

Succedenti Sabbatho cum instituendis populis in Synagoga Capharnaum vacaret, oblatum sibi manu arecentem agrorum curavit, demonstrans Phariseis nihil se contra Legis religionem in valetudine homini prastandâ egisse (q).

q Matt. 12. 9.
13. Marc. 3. 1.
5. Luc. 6. 6.
10.

Pharisei, & Herodiani.

Pharisei adversus Jesum animati, in ejus necem cum Herodianis conspirarunt. Quo eorum consilio intellecto, Jesus in regionem ad mare Galilæe confugit, euntemque turba multa, ex omnibus latè regionibus veniens curandosque deferens egrotos, secuta est (r).

r Matt. 12. 14.
15. 21. Marc. 3.
6. 8. Luc. 5. 2.

Duodecim Apostolorum electio.

Parari sibi naviculam, ut se à turbis expediret, Jesus præcepit. Secessit igitur in montem, ubi totam noctem exegit orando; mane verò descendens, designatos aliquos à Discipulis suis accivit, electosque ex illis duodecim Apostolorum nomine insignivit (s).

s Mar. 3. 9. 19.
Luc. 6. 12. 17.

Sermo in Monte.

Cum à monte descendisset, è loco quodam prominente docendos Apostolos ceterosque à populo suscepit; octo beatitudines interpretatus, totamque illam orationem planè mirabilem pronuciavit; que totius veluti doctrinæ Evangelicæ summa jure meritoque habetur (t).

t Matt. 5. 1. 6.
6. 8. Luc. 6.
37. 49.

Leprosi curatio.

È loco illo descendenti leprosus coram se obtulit, sanatumque solo tactu monstrare se Sacerdotibus jussit (u).

u Matt. 8. 1. 4.

Venit inde Capharnaum, & venienti occurrerunt Optimates Judæorum, rogantes, ut famulum Centurionis periculoso morbo laborantem sanitati restitueret. Cum igitur Jesus ad Centurionis domum se conferret, vir ille amicos misit, significantes indignum se, ut in domum suam veniret, agnoscere. Venit & ipse pariter post amicos eadem professus. Tantam viri fidem admiratus Jesus, actum beneficio, de quo rogabat, donatum remisit (x).

x Matt. 8. 5. 13.
Luc. 7. 1. 9.

Jesus vitæ restituit filium viduæ Naim.

Capharnaum Jesus ad Naim contendens, funebrem pompam filii mulieris cujusdam viduæ offendit, matricque lacrymis permotus, defunctum revocavit ad vitam (y).

y Luc. 7. 11.
17.

Joannes Baptista duos à discipulis suis ad Jesum legat.

Famâ prodigiorum J. C. ad Joannem in carcerem perlata, duos ille à Discipulis suis ad Jesum legavit, quæsituros: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Quos Jesus, post plures ægrotos fortè præfentes curatos, ire jussit, quæcumque viderant, cæcos nempe ad visum, surdos ad auditum, mortuos ad vitam leprosus ad valetudinem revocatos, Joanni renuciarios. Abeuntibus ergo Discipulis Joannis Baptistæ, Jesus magnifico elogio Præcursores suum merito & sanctitate celebravit; addens cæteris omnibus præfere, ipsi que esse Eliam à Prophetis prænunciatum (z); quem nec nosse nec recepisse Judæis crimini vertit.

z Matt. 12. 1.
19. Luc. 7. 18.
35.

Jesus Christus convivio à Simone Phariseo excipitur. Fæmina peccatrix.

Versans adhuc in Naim, ad cœnam à Simone Phariseo invitatus venit. Interim mulier quædam, criminum suorum famâ totâ Urbe notissima, ad Pharisei aedes se contulit, atque ad Jesu pedes provoluta, quâ lacrymis, quâ pretioso unguento perfudit. Infamem ob consuetudinem mulieris scandalo quodam affectus Phariseus, num Messias Jesus habendus esset in dubium revocabat. Jesus, cui nihil cogitationum illius fuerat inexploratum, assumptâ duorum obaratorum parabolâ, quorum uni plus, alteri minus à sceneratore remissum est, prænam illius in ferendo judicio facilitatem objurgavit (a).

a Luc. 7. 36.
50.

In hunc modum Jesus totam Galilæam prædicans decurrit, habebatque itineris

60-

b Luc. 8. 1. 3. comites fœminas, obsequiis suis additas (b).

Necessarii Jesu ad illum deducendum veniunt.

Cum iterum venisset Capharnaum, turbam affluentiam aded detinebatur opprimebaturque, ut ne capiendi quidem cibi tempus haberet. Inter hæc, ejus necessarii venientes, è medio populo reducere illum tentarunt, statum mentis emotum discitantes (c).

c Mar. 3. 20.
21.

Dæmoniacus cæcus, & mutus curatur.

Ibi pariter salutem fuit Dæmoniaci cæco simul, & muto (d).

d Matt. 12. 22.

Eam miraculorum famam iniquè ferentes Scribæ & Pharisei, invidios quosdam sermones sparserunt in vulgus, discitantes in nomine Beelzebub adversus Dæmones virum illum prævalere, quas illorum blasphemias & falsi arguit Jesus, & simul grande illorum crimen demonstravit, ostendens peccasse illos in Spiritu S. genere criminis de se irremissibili (e).

e Matt. 12. 14.
37. Mar. 3.
22. 30. 37.

Pollicetur signum Jonæ Prophete.

Signum aliquod sive prodigium postulantibus ab illo Phariseis, nullum ipse expectandum dixit, nisi signum Jonæ Prophete. Expectarent etiam denunciavit duriores in se quàm in Ninivitas ultionem, arguendosque die judicii à Regina Austri, causam contra illos disturâ. Proposuit Dæmonis parabolam, qui ex homine egressus, dein unâ secum adductis septem aliis nequioribus spiritibus, regreditur (f).

f Matt. 12. 33.
45.

Mater, & Fratres Jesu illum allocuturi conveniunt.

Renunciatum est interim Jesu, adesse Matrem, & Fratres suos, qui secum aliquid loqui postularent. Respondit ille Matris se fratrumque loco agnoscere, qui voces suas Deique auscultarent (g).

g Matt. 12. 46.
50. Mar. 3. 31.
35. Luc. 19.
29. 21.

Varias Parabolas proponit.

Post cibum Jesus in litore maris inambulans, populumque circa habens confertum, concessâ naviculâ, ne à confluentibus opprimeretur, prædicavit. Pro concione exposuit parabolam ferentis (h), lucernæ, quæ supra modum non subitus illum collocatur, lolii disseminati ab adversario, quo frumenti semen corrumpitur, grani sinapis, & fermenti (i).

h Matt. 13. 1.
36. Mar. 4. 1.
3. Luc. 8. 11.
18.
i Matt. 13. 24.
37.

Parabolarum Interpretatio.

Dimissis jam turbis domum, cum Discipulis assidens, rogantibus illis sensum illarum parabolarum depremeret, acquievit: qua occasione felicitatem conditionis illorum, quibus daretur non audire tantum, sed assequi pariter intellectu ea, quæ aliis fuerant inexplorata, demonstravit (k). Adjecit insuper parabolam thesauri in terram defossi, margaritæ inventæ, & retium, quæ in capturam laxatæ, ingentem quâ optimorum, quâ deteriorum piscium prædam referunt (l).

k Matt. 13. 8.
23. Marc. 4.
10. 20. Luc. 8.
9. 51.
l Matt. 13.
44. 45. 52.

Legis Peritus Jesum secutus ad illum venit.

Vespere ejus diei transfretato cum Discipulis mari Genesareth (m), Legisperitus sese offerens, velle se nomen inter Discipulos illius dare profertur. Cui Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres Callinidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Rogavit alius quidam, ut antequam ipsi se totum addiceret, liceret sibi parentem suum sepulturæ mandare. Jesus ad hæc: Sinite mortuos sepelire mortuos suos (n).

m Matt. 8.
18. Marc. 4.
35. Luc. 8. 22.

n Matt. 8. 19
22.

Tempestas in mari Galilæe.

Cum naviculam conscendisset, dormiebat, statimque exorta tempestas in ultimas angustias nautas adduxit. Accurrentes igitur Discipuli Jesum excitant, & ille ventis marique silere jussit omnia, statim, non sine adstantium omnium admiratione & terrore, composuit (o).

o Matt. 8. 23.
27. Marc. 4.
36. 40. Luc. 8.
23. 25.

Curatio duplicis Dæmoniaci in Gerasena regione.

In finibus Gerasenorum duos offendit Dæmoniacos, quorum alterum virum terribilem integra Dæmonum legio efferebat. Venit ille in occursum Jesu, magnisque Dæmones ejulatibus querebantur, venisse illum ad se torquendos maturius: rogabant insuper ne in abyssum inferorum detruderentur, quin potius, si permitteret, insecuros porcorum per vicinos montes pascentium gregem. Annuente Jesu, statim porci subito furore agitati in mare Galilæe præcipites adii sunt. Quare Geraseni sinistra aliquid sibi timentes, rogarunt Jesum, ut è sua ipsorum regione faceretur (p).

p Matt. 8. 28.
34. Mar. 5. 1.
17. Luc. 8. 26.
37.

Dæmoniacus Jesum sequutus venit.

Martimum ad Capharnaum iter initurum Jesum conveniens vir ille à Dæmone nuper liberatus, rogavit, ut

10-